



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 70. An sit licitum jurare rem, quam tantùm probaliter judico esse veram.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

si autem hic animus adsit, putat cum aliis non fore mortale, quia deērit solum judicium.

- 267 Q. 70. *An sit licitum jurare rem, quam tantum probabiliter judico esse veram.* R. Sanch. L. 3. c. 4. n. 10. Castrop. p. 5. n. 2. aliique cum Diana P. 4. T. 4. R. 77. affirmant, quia juras hoc, quod judicas verum, ergo non pejeras ; unde quod aliquis audivit à viro notabili & fide digno, potest secundūm illos AA. affirmare & extra Judicium jurare esse verum, quod aliqui apud Dian. extendunt ad Juramentum etiam in Judicio, sed melius id negant alii, ibi enim postulatur Juramentum scientiæ, quod majorem certitudinem requirit, uti notat Castrop. n. 3, nam testis hic censetur semper testari de visu & præsencia propria, uti etiam notavit Bon. suprà n. 9. Si quis putet utramque partem oppositam esse probabile, poterit jurare & hanc & illam esse probabilem, tamen jurare non poterit & hanc & illam esse veram, cùm enim utriusque simul assentiri non possit, illam tantum jurare poterit, cui assentietur : è contrà Suar. c. 4. n. 7. & Dicast. n. 147. requirunt moralem certitudinem ad omne Juramentum, alioquin jurantem fore perjurum, quia qui jurat significat se plūs quam opinari, & dicit se aliquo modo scire, ergo jurare non licet id, de cuius veritate certò non constat ; & prærequiretur saltē talis certitudo, ut nulla vel parva & non prudens sit formido de veritate partis oppositæ, vel saltē ut non sit formido æqualis : admittunt tamen & ipsi requiri quandoque maiorem, quandoque minorem certitudinem, etiamsi in Judicio jures, uti rectè explicat Dicast. n. 142, nam in causis, ubi Juramentum erit in favorem, sufficiet minor certitudo, ubi autem ex eo grave incommodum nasci posset alteri, requiretur major ; &

hæc

hæc ultima sententia videtur probabilior : omnes autem communiter docent cum *Sanch.* n. 11. & *Castrop.* num. 3., ad hoc, ut quis testificetur de Scholaftico , quod toto tempore ad cursum conficiendum requisito frequentaverit scholas , non esse necesse, quod viderit eum singulis diebus, sed sufficere , si communiter viderit adeuntem scholas, inde enim rationabiliter credit satisfactum esse Statuto Universitatis, quod est, ut majore anni parte frequenter, & cùm alia testificatio sit morali-  
ter impossibilis , non censetur alia postulari : Quod si tantum audivisset à fide digno , quod frequentāset, non sufficeret ad jurandum, nam hoc Juramentum est veluti judiciale, quod requiri-  
rit testem de visu ; posset tamen tum jurare,  
quod audisset à fide digno.

Q. 71. *Quanta adhiberi debeat diligentia in inquirenda veritate, antequam jurari possit.* R. Secundūm *Sanch.* tanta, ut probabile Judicium possit formare, quo assentiatur : secundūm *Dicast.* tanta , ut non multūm formidet de veritate oppositi, sed moraliter certus sit : prout ergo negligētia aut contemptus hujus examinis erit gravis vel levis , siēque Juramentum cum reflexione ad eam, seu cum cognitione illius, erit perjurium grave vel leve, *Dicast.* d. 2. à n. 135.

Q. 72. *An Civis vi & injusto bello subjugati, possint invasoribus præstare generale Juramentum fidelitatis.* R. Possunt, dummodo nihil illicitum expressè admisceatur, & ipsi intelligent se solūm jurare fidelitatem ad licita & honesta : legitimū tamen Principem suum abjurare non possunt, quia talis abjuratio est perjurium, cadens in materiam falsam & in injuriam veri Principis, ita *Leß.* in *Auct.* v. *Juramentum cas.* 5.

M. 2

Q. 73.